

eorum, quae secundum quietem visa sunt, interpretationes asserere solent. Ego vero cum foenum audio, faenum intelligo; et stirpem, et piscem, et feram, iumentum, omnia uti dicta sunt, ita accipio. Non enim me pudet evangelii. Similiter s. Hieronymus (1) effatur: Origenem loquor, et Eusebium Pamphili: quorum alter liberis allegoriae spatiis evagatur, et interpretatis nominibus singulorum, ingenium suum facit ecclesiae sacramenta; alter historicam expositionem titulo repromittens, interdum obliviscitur propositi; et in Origenis scita concedit. Et profecto id, quod ss. Basilius et Hieronymus loc. cit. Origeni obiiciunt, maxime in exponendo opere sex dierum, et lapsu primorum parentum Genes. 1, 2 et 3 locum habet. Cum enim Moyses hic historiam mundi conscribat, patet, narrationem eius non symbolicam, non allegoricam, sed historicam, simplicem et planam esse, ac proinde ea quae narrat de paradisi, Adami, Evae, et rerum omnium creatione spatio sex dierum successive peracta, item de tentatione per serpentem, lapsuque primorum parentum etc., historice et proprie, ut sonant, accipienda esse (2).

§. III.

De arca Noe et universali diluvio.

Variis incredulorum cavillis arca noëtica et diluvium universale exposita sunt. Unde

25. QUÆRES XIV. An de arca Noe sequentia sint fide digna? 1. Quod ingentem huius arcae fabricam Noe cum tribus filiis suis per-

(1) Commentar. in Isai. 1. 3 in prologo.

(2) Vide Cornel. a Lapide can. 1 in com. Pent.

(3) Lib. 4 cont. Celsum, et homil. 2 in Genes.

(4) L. 15 de Civ. Dei, c. 27.

(5) Genes. c. 6, v. 15, ubi Deus ad Noe

ficere potuerit? 2. Quod omnes omnium animalium species cum suis alimentis in arca sufficiens spatium et locum invenerint? 3. Quod ex remotissimis terris, et ultimis Americae plagis omnes animalium species ad arcam venerint? 4. Quod manucodiata (der *Paradiesvogel*) in arca commorari potuerit, cum solo coeli rore nutriatur, et pedibus carens nullibi consistere valeat, sed in perpetuo volatu sit?

¶. ad primum. Vir dives et nobilis (qualis fuit Noe) facile potuit operarios conducere, qui, si non fidem de futuro diluvio, manus tamen patriarchae ob pactam mercedem praebebant. Nonne enim frequenter videmus, plures homines operi, quod caeteroquin non probant, manus accommodare unius stipendii aut mercedis causa?

¶. ad secundum, antiquam hanc esse Celsi, aliorumque incredulorum obiectionem, quam Origenes (3), et s. August. (4) pridem confutarunt; quamvis ad eam solvendam opus haud sit, cum praedictis patribus ad cubitos *geometricos*, aut cum aliis ad cubitos *sacros*, quos Moyses in arcae descriptione (5) intellexerit, confugere; sed sufficiunt cubiti *vulgares*, qui cubitis *geometricis* aut *sacris* sunt minores. Nihilominus enim arcae capacitas et amplitudo fuit tanta, ut omnium specierum animalia, quot in eam introducta fuisse s. Scriptura commemorat, cum alimentis congruis *Noëmum* ac eius familiam cum annona et utensilibus, facile confineret; prout *Buteo* anglus, et cum eo *Natalis Alex.* (6), *Pererius* (7),

ait: *Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius.*

(6) Tom. 1 in primam mundi aetatem dissert. 10 art. 1.

(7) Commentar. in Genes. lib. 10, di-

Bonfrerius (1), *Calmet* (2), alique demonstrarunt. Ponamus enim *Moysem* (3), loqui de cubito vulgari seu ordinario, qui sesquipedalis (4) est: ergo tota arcae area, eius longitudine in latitudinem ducta, cubitorum huiusmodi quadratorum millia quindecim, seu, 33750 pedes quadratos capiebat. Porro quoniam arca non habuit formam navium, quibus hodie utimur, sed erat instar rectanguli parallelepiedi aedificata, tres eiusmodi areae tribus contignationibus, quae in ea (5) erant, respondentes dabantur. In ima contignatione sive area poterant consistere animantes quadrupes et repentes. In tabulato medio, seu contignatione altera locus sat amplus erat annonae pro hominibus et animalibus, etiam doliis aquae dulcis ad potum et lotionem. In suprema avibus et hominibus cum culina, mola lignorum, cella et penu. Infra imam aream seu tabulatum infimum saburra et sentina, ubi etiam serpentes ac virulenta animalia locari poterant. Ceterum enumera cum *Gesnero*, *Aldrovando*, et aliis antiquioribus omnes animalium species volantium, repentium, ambulantium: adde insuper, quotquot ad nostra usque tempora per tot navigationes in provinciis transmarinis repertae sunt: ad ducentas tamen species quadrupedum et repentium non pervenies, multoque minus eandem summam in volucribus obtinebis. Porro magnitudinem animalium si spectes, terrestrium sex tantum species novimus equo maiores, non multas ei pares,

sput. 8, et lib. 11, disput. 9 usque ad finem disput. 14.

(1) Comment. in Genes. c. 6, v. 15.

(2) Ibid. (3) Genes. c. 6, v. 15.

(4) *Palmus minor*, sive *Romanus* est spatium 4 digitorum; *Pes* continet 4 palmos minores, seu 16 digitos: *Cubitus communis* sive *romanus* habebat 6 palmos mi-

plures ariete minores: avium paucae maiores cygno, minores pleraeque sunt. Revoca nunc in memoriam, arcae aream cubitorum quadratorum 15000 fuisse: quod spatium, cum ob triplicem contignationem triplum fuerit, profecto tam amplum erat, ut in eo consistere totus hominum exercitus potuisset. Nostrae bellicae naves sunt exiguae machinae comparate ad arcam Noe; et tamen praeter homines et milites, annonam et apparatus bellicum, integri greges animalium in illis asservantur. Cui ad extremum addas velim, non fuisse in arca commoditatis causa adhibendam laxitatis curam, sed a divino architecto (6) imperatas tantum *mansiunculas*, hebraice קניס nidos, seu cellulas. Nec enim Noe commoditati aut oblectamento animalium, sed necessitati eo tempore serviebat.

Unde si quaeras, an et quomodo tunc de carnibus prospectum fuerit carnivoris animalibus, leonibus, ursis, aquilis, lupis etc.? ¶. Non erat arca is locus, ubi gulae indulgeretur; sed ingenti beneficio consuleretur vitae, ut possint vivere, inquit ad Noe Dominus (7), *tolles tecum ex omnibus escis, quae mandari possunt, et comportabis apud te, nulla carnis facta mentione: simplex enim alimentum ad necessitatem vitae servandae, non sagina ad voluptatem concedebatur. Equidem praedictae ferae gaudent carnibus, ubi suppetunt; sed non ideo encantur fame, cum desunt. Nec sufficiens apparet causa, feras tam tri-*

nores, seu 24 digitos: *Cubitus vero sacer* habebat 7 palmos minores, seu 28 digitos. *Cubitus geometricus* aequivalet 6 nostris cubitis, ut Origenes et Augustinus tradiderunt.

(5) Genes. c. 6, v. 16.

(6) Genes. c. 6, v. 14.

(7) Ibid. v. 20 et 21.

sti tempore alendi carnibus, quas gustare ipsis hominibus nondum licebat. Plura de his et similibus e. gr. de transpirationibus hominum et animalium ex arca emissis, de sordibus animalium ex illa eiectionis etc., vide apud *Cornelium a Lapide* (1), aliosque interpretes.

¶ *Ad tertium.* Non est opus, ut animalia ex regionibus tam remotis in arcam venisse, asseramus. Ex omnibus enim speciebus in Asia quaedam poterant adesse, Deo ita disponente, temporibus *Noe*, licet fortassis post diluvium una aut altera animalium species migraverit tota in Americam, aliasve orbis partes indoli et naturae suae aptissimas. Si autem id iam ante diluvium contigit, Dei intererat, illa animalia in arcam compellere, quemadmodum patriarchae *Noe* promiserat, dicens (2): *Bina de omnibus ingredientur tecum*, id est ut s. *Augustinus* (3) exponit, ultro venient. Et quis demum mortalium negare ausit, id Creatorem omnipotenti suo imperio efficere potuisse? Unde plerique doctores cum *D. Augustino* asserunt, voluntate ac potestate Dei, ministerioque angelorum, aut singulari quodam animalibus indito instinctu ea omnia undique congregata et deducta esse

(1) Commentar. in Genes. c. 6, v. 16. Caeterum fortassis studiosus lector scire cupit, quot pedes parisinos vel augustanos trina dimensio arcae noeticae complexa fuerit? *R.* Arcae noeticae *longitudo* complectebatur pedes parisinos 497,05 hoc est, quadringentos nonaginta septem pedes parisinos, et tres centesimas, si nempe unus pes parisinus dividatur in centum aequales partes; *latitudo* continebat pedes parisinos 82, 84: *altitudo* pedes parisinos 49, 69. *Pedes vero augustanos* 543,12 *longitudo*; 90, 85 *latitudo*; 54, 58 *altitudo* arcae complectebatur. Haec omnia demonstrari possent, si cumulus materialium longiorem calculum permitteret; pro ut patebit expendenti, quod iuxta Genes. c. 6, v. 15, *longitudo* arcae fuerit trecentorum cubitorum (probabilis hic intelligitur cubitus iudaicus communis, qui iuxta praecedentem notam (4) minor erat cubitu sacro); *latitudo* quinquaginta cubitorum; *altitudo* triginta cubitorum. Iam vero, si pes parisinus in 1440, aequales partes dividatur, cubitus iudaicus communis continebit eiusmodi partes 2585, 83; cubitus vero sacer 2785, 49; pes iudaicus 1590, 57; pes augustanus 1515. His suppositis, praedictum calculum per regulam auream eruere poteris.

ad arcam. Neque via et modus deerat, illa ex remotissimis insulis, ipsaque ex America in Asiam deducendi, ut infra (4) ostendemus. Denique illud quoque animadversione dignum: quod, quamvis quaedam bestiarum species non deprehendantur alibi, quam e. g. in America, non tamen statim concludendum sit, eas in sola America existere; ferme sicut botanici olim putarunt, certas plantarum species in solis Indiis reperiri, quae postea maiori adhibita industria deprehensae sunt in Europa circa Parisios aut alibi, quamvis in minore copia, et fors minori vigore et virtute praeditae.

¶ *Ad quartum* cum *Menochio* (5), non esse verisimile, quod avis ista in perpetuo volatu sit, cum quodlibet animal quandoque quiescere debeat. Accedit, quod aves post tempus partus ovis suis incubent, quod pariter sine quiete fieri nequit. Porro, teste *Ulisse Aldrovando*, memorata avis non rore coeli, sed muscis, et aliis insectis in aëre volitantibus, vel aliis, quae arboribus adhaeserunt, alitur: et quamvis pedibus careret (id tamen absolute falsum esse *Buffonius* tomo v historiae naturalis, sub titulo *l'Oiseau de paradis* cum pluribus recentioribus

torum cubitorum (probabilis hic intelligitur cubitus iudaicus communis, qui iuxta praecedentem notam (4) minor erat cubitu sacro); *latitudo* quinquaginta cubitorum; *altitudo* triginta cubitorum. Iam vero, si pes parisinus in 1440, aequales partes dividatur, cubitus iudaicus communis continebit eiusmodi partes 2585, 83; cubitus vero sacer 2785, 49; pes iudaicus 1590, 57; pes augustanus 1515. His suppositis, praedictum calculum per regulam auream eruere poteris.

(2) Genes. c. 6, v. 20.

(3) Lib. 15 de Civ. Dei, c. 27.

(4) Vide sequentem quaest. 15 ad septimum.

(5) Centuria 5, c. 95.

zoologis affirmat), nihil tamen vetat cur alicubi consistere et quiescere valeat, cum et serpentes et alia reptilia licet pedibus careant, non raro tamen consistunt atque quiescunt. Potuit igitur haec avicula in arca esse, Deoque providente convenienti aliquo pabulo refici. Vocatur autem eadem volucris alio nomine *avis paradisiaca* ob venustatem varietatemque pennarum, et in solis Moluccis insulis visitur.

26. QUÆRES XV. *Quid incredulis respondendum ad sequentia de diluvio dubia?* 1. Estne credibile, quod diluvium fuerit universale, et totum globum terrestrem operuerit? 2. Unde tanta aquarum quantitas et abundantia? 3. Aut quem in finem aqua totum globum terrestrem operuerit, cum humanum genus tunc solam Asiam habitaret? 4. Unde columba finito diluvio oleam attulit, cum olivae in Armenia non crescant, nec eae anno integro, quo diluvium duravit, sub aquis virere potuerint? 5. Quomodo verba illa (1) vulgatae latinae: *Noe — dimisit corvum, qui egredie-*

(1) Genes. c. 8, v. 6 et 7.

(2) Genes. c. 9, v. 12 et 15.

(3) In suo Lexico philosoph.

(4) *Praeadamitae* dicuntur ii, qui asserunt, iam ante Adamum extitisse homines. Systemati autem praeadamitico iam olim *Iulianus apostata*, et praeter *muselmannos* quidam *rabbini*, ac famosus apostata *Iordanus Brunus* praeluserant. Sed quod isti praekoncepterant systema, explicatius protulit, et in libro hac de re edito multis argumentis stabilire conatus est *Isaacus Peyrerius* domo burdigalensis, religione calvinista, an. 1635. Postea tamen Romam adiens calviniana dogmata sub *Alexandro VII*, pontifice eivavit, et praeadamiticum quoque systema recantavit. Verum non obstante hac palinodia quidam systema praeadamiticum recoquere ausi sunt, et nostra maxime aetate increduli eo ad impugnandam Pentateuchi auctoritatem abutuntur. Porro memoratum *Peyrerii* systema est huiusmodi; Deus, inquit, diu ante Adamum plures simul

batur, et non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram, conciliantur cum textu hebraeo dicente: Exiit (corvus) egrediendo et redeundo, donec etc.? 6. Quomodo iris (2) post diluvium est signum foederis inter Deum et homines; quasi vero ante diluvium nulla iris unquam apparuisset? 7. Qua via homines et animalia post diluvium (siquidem hoc universale fuit, et omnia animantia interemit) pervenire potuerunt ultra lacus et maria in remotissimas insulas, ipsamque Americam a reliquis orbis partibus immenso mari seiunctam?

¶ *Ad primum.* Quamvis *Voltairius* (3) dicat, diluvium iuxta philosophorum effatum esse mysterium fidei, in eo consistens, ut credamus, quod ratio non credit, multique increduli, praeadamitas (4) hac in re secuti *universalitatem* diluvii noëfici, tanquam commentum, explostant: tamen ipsa sana ratio dicat, quod Deus omnipotens plura possit, quam finitus intellectus noster capere valeat; imo quod omnia possit, quaecunque nullam contra-

homines, masculos et foeminas in omnibus terrae partibus creavit, sicut ubique terrarum arbores et plantas produxit; et primos hos homines fecit capita et parentes gentium; diu autem postea creavit *Adamum* et *Evam*, ut essent capita et parentes sui populi israelitici. *Moses* enim, ait *Peyrerius*, unice intentus tradendae hebraeorum historiae, caeterarum gentium, quarum nullum tunc cum hebraeis commercium erat, historiam neglexit. Diluvium vero noëticum, addit citatus auctor, non totum late orbem inundavit, sed eam tantum regionem, quam posteri *Adami* incolebant. Vide *Calmeti* Diction. bibl. verbo *praeadamitae*. Verum hoc systema nullatenus sustineri potest, utpote s. Scripturae multiplici ex capite aperte contrarium, et a *Calmeto* loc. cit. et commentar. in Genes. c. 4, v. 17, *Billuarto*, tom. 5 de peccatis, in digressionem histor. ad finem sextae dissertationis, *Zaccaria* in thesauro theol. t. 2, contr. 4 opusculo 5, pluribusque aliis solide refutatam.

dictionem involvunt: atqui universalitas diluvii nullam contradictionem involvit, nec ulla ab incredulis ostendi potest: ergo universalitas diluvii fuit possibilis. Actualis vero eiusdem existentia patet ex s. Scriptura (1), cui non solum unanimis pp. et interpretum orthodoxorum consensus, sed etiam persuasio omnium populorum ipsaque experientia accedit. Nam teste *Iosepho Iud.* (2), *huius diluvii et arcae meminerunt omnes barbaricae historiae scriptores, et in his Berosus chaldaeus — et Hieronymus aegyptius, qui antiquitates phoenicum scripsit, et Manaseas damascenus.* Similiter teste *Eusebio* (3), assyriorum scriptor *Abydenus* narrat, *Xisuthrum* a Saturno certiore factum fuisse de diluvio terram inundaturo, et ad vitam salvandam conscendisse navim, cuius ligna adhuc in Armenia invenirentur, et remedium hominibus adversus multos morbos afferrent. Item teste s. *Cyrillo alex.* (4) narrat *Polyhistor*, et explicite docet quadrupedes, reptilia et volucres in navi fuisse servatos. Imo teste *Grotio*, in diluvii historiam ferme omnium gentium

(1) Dixit enim Deus Genes. c. 6, v. 15, et 17 ad Noe: *Finis universae carnis venit coram me — Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitae est subter coelum; universa quae in terra sunt (adeoque omnes homines, omniaque animantia terrestria, paucis exceptis) consumentur.* Porro Genes. c. 7, v. 15, 19, species animalium ingressae sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitae. — Et aquae praevaluerunt nimis super terram; operitque sunt omnes montes excelsi sub universo coelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumptaque est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animalium et bestiarum, omniumque reptilium, quae reptant super terram: universi homines, et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortui sunt. An

memoria desinit, claro indicio, quod diluvium fuerit universale, omnesque homines, paucis exceptis, suffocavit. Praeterea diluvii universalis vestigia sunt tot conchylii, pisces, aliave corpora petrificata, quae in altioribus etiam montibus longissime a mari dissitis, ferme in omnibus terrae partibus inveniuntur, prout naturalium rerum scriptores etiam acatholici in suis libris non raro testantur.

Reponit quidem *Voltairius*, et ait, in America non reperiri tractus conchyliorum, aut vestigia corporum marinorum. Sed turpiter errat. In historia enim *Pensylvanicae*, in historia *Tellamedii*, in inquisitionibus philosophicis (5) copiose narratur, quam multae conchyliorum species reperiantur in *Pensylvania*, *Virginia*, *Marylandia*, in montibus *peruvianis*, *chilensibus*, et alibi. Praeterea, si hispanis, aliisque in America degentibus, aut ex illa redeuntibus fides est, *americani* diluvium universale norunt, unicam familiam in diluvio servatam, linguasque multiplicatas. *Canadenses* post diluvium aiunt, orbem fuisse reparatum a *Mesou*, hoc est, a *Messia*.

non sat clare s. Scriptura his verbis exprimit universalitatem diluvii? Praeterea s. *Petrus* in sua epist. 2, c. 5, v. 6, de diluvio loquens, ait: *Tunc mundus aqua inundatus periiit.* Non ait, tunc *Palaestina*, *Mesopotomia*, vel *Asia*, sed *mundus* periiit. Denique a tribus filiis *Noe*, *Sem*, *Cham*, et *Iaphet*, Genes. c. 8, v. 9, disseminatum est omne genus hominum super universam terram, totusque globus terraqueus, tanquam vacua possessio, divisa est filiis et nepotibus ipsius, Genes. c. 10, v. 5, manifesto argumento, non solum *Palaestinam* vel *Asiam*, sed universam terram cataclysmo exhaustam fuisse.

(2) L. 1 antiq. c. 5.

(3) L. 9 praepar. evang. c. 4.

(4) L. 1 adversus Iulianum.

(5) Recherches philosophiques, tom. 1, p. 24 et 123

Similiter in regionibus *Cuba*, *Mechoacan*, *Nicaragua* diluvii, animalium servatorum, quin et corvi et columbae noëticae antiquissima memoria servata est.

Alia incredulorum responsio est dicentium, conchylii et marina corpora, quae in altissimis montibus a mari remotissimis non raro inveniuntur, haud esse effectum diluvii, sed transmigrationis maris, quod intra spatium multorum saeculorum ex una regione in aliam, e. g. per Italiam, Germaniam, caeterasque regiones successive migrat. Sed nego suppositum, quod detur eiusmodi transmigrationis maris. Nam si ea daretur, hodie deberet esse alius terrae et marium situs, quam fuerit ante duo vel tria millia annorum. Iam vero sive *Strabo*, sive *Pomponius Mela*, magni illi cosmographi consulantur, qui ante 16 vel 17 saecula scripserunt, deprehendemus, quod hi scriptores eodem loco portus et littora Hispaniae, Galliae, Italiae, Graeciae, Asiae, Africae sita descripserint, quo hodie sita intuemur e. g. *Calpen*, seu *Gibraltar*, *Carthaginem Novam* (*Cartagena*), *Barcinonem*, *Marsiliam*, *Genuam*, *Neapolim*, *Constantinopolim*, *Sidonem* etc. Neque dicas, mare intra tempus 500 annorum recessisse a *Foro Iulio* (*Fréjus*), *Aquis Mortuis* (*Aiguesmortes*), *Ravenna*, ubi olim portus maris erat, et circiter duobus milliaribus post se reliquisset terram sine aqua: ergo intra spatium temporis duorum millionum, ducentorum et quinquaginta millium annorum idem mare glo-

(1) Ita testatur cl. *Bergier*. La certitude des preuves du christianisme, tom. 1, pag. 154. Porro *Fréret* in praefatione suorum scriptorum affirmat quidem, se non malo fine varias obiectiones contra religionem christianam in medium proferre, sed ut viri profunde docti melius et solidius, quam hucusque a scriptoribus christianis factum esset, ad illas respon-

bum terrestrem totum sua transmigratione circuire potuit. Veruntamen r. causas, cur mare a praedictis locis recesserit, esse specialem situm harum urbium, vel neglectum culturae et portuum ibi exstructorum etc., quae ratio non suadet, mare per totum globum terraqueum, et ultra praealtos illos montes, in quibus conchylii, pisces, et corpora marina petrificata inveniuntur, migrare, aut aliquando migrasse. Aut edicant adversarii: ubi nam tunc temporis, quando mare transgressum est Alpes, montes Pyrenaeos, aliaque montana telluris, ubi, inquam, tunc erant homines et animalia? Certe iuxta leges aequilibrii fluidorum tunc totus globus terrae debuisset aqua fuisse circumfusum, adeoque adversarii deberent admittere aliquid omnino simile universali diluvio, quod negant. Adde, quod obiectio ab iisdem allata supponat, mundum iam ultra duos milliones annorum existere, et mare successive ex una regione in aliam migrare, quorum primum chronologiae mosaicae iam alibi stabilitae repugnat; alterum vero sine ulla ratione sufficiente adseritur. Quamvis enim multi recessus et mutationes a maris inundationibus factae sint; non tamen sive ex historia sive aliunde constat, quod integrum mare ex regione in regionem, et multo minus circum totum globum terrestrem migraverit.

Denique contra universalitatem diluvii etiam illud obiicitur, quod *D. Fréret* (1) scripturistis explicandum proposuit. « Magni operis

derent. At hoc consilium d. ni *Fréret* vehementer improbat cl. *Bergier* loc. cit. tom. 1, pag. 1, § 1, et addit: « Quod ad d. ni *Fréret* excusationem dici potest, id solum est, quod non ipsemet haec sua scripta ad typum promoverit, sed eadem haud dubie suppressisset, si illa in manibus suis etiamnum habuisset. »

et laboris est, inquit, diluvii universalitatem cum illa hominum multitudine conciliare, quae brevi post diluvium terram inhabitavit. » Ad- dit et citat ob hanc rem D. Abbé Lenglet, qui affirmat in sola Aegypto ducentis vel trecentis post diluvium annis tantam populi multitudinem extitisse, cui capiendae ne quidem viginti millia urbium suffecissent. Verum cur D. Abbé Lenglet nulla documenta aut argumenta adducit, ex quibus suum adsertum de tam stupenda hominum multitudine brevi post diluvium in Aegypto existentium probet et demonstret? Forsan illam multitudinem apud Herodotum invenit, qui primum post duo milia annorum a tempore finiti diluvii scripsit? Praeterea quadringentis etiam post diluvium annis adhuc solam illam Aegypti partem, quae Delta (1) vocatur, ab incolis cultam et habitatam scimus, et ne quidem hodie tota Aegyptus octo millia urbium continet. Quis igitur credat, olim unicam partem huius regni tam populosam fuisse, ut viginti millia urbium inquilinis implere potuisset? Quis, inquam, hoc credat,

(1) Delta a graecis et latinis scriptoribus inferior pars Aegypti vocatur, quae ab urbe Memphis usque ad mare extenditur. Nomen illud inde ortum est, quia Nilus prope Memphin in duos praecipue omnes dividitur, quorum unus prope Pelusium, alter prope Canopum in mare sese exonerat; unde regio inter hos duos amnes intercepta formam graecae litterae Δ, seu Delta praesefert, et hoc nomine appellata est.

(2) Vide supra ad finem numeri 17.

(3) Epist. ad Coluvium; item opusc. de aetate mundi, p. 28.

(4) Opusc. de arca, c. 36.

(5) In historia de globo terrae.

(6) Notandum contra hos philosophos, quod nequaquam sufficiat, admittere diluvium particulare, e. gr. solam Palaestinam vel Asiae quandam partem inundans (vide supra n. 26, R' ad primum de praedamitis). Nam in particularis diluvii

aut unde illud D. Lenglet, seu quisvis alius scire poterit, cum de antiquissimis illis temporibus (nimirum de rebus brevi post diluvium gestis) non alia documenta fide digna extant nisi ex s. Scriptura, et speciatim Pentateuchus Moysis (2), ubi tamen nihil de stupenda illa multitudine hominum in Aegypto brevi post diluvium existentium commemoratur?

R. Ad 2. Nos non ignorare demonstrationes physicas vel geometricas, quas Vossius (3), Pelletierius (4), Henric. de Justi (5) aliique philosophi nostrorum temporum contra possibilitatem et existentiam universalis diluvii altissimos montes aquis operientis (6) in medium proferunt. Aiunt, aquas omnium fluminum et marium non sufficere ad implendas simul cavitates et alveos terrae, ac tegendos in universo orbe altissimos montes; pluvias vero non aliunde quam ex fluminum mariumque vaporibus provenire. Igitur ad operiendum totum globum terrestrem cum altissimis montibus Deum novas aquas creare debuisse, eademque finito diluvio

hypothesi non salvantur textus s. Scripturae; prout consideranti textus supra in nota (1), n. 26, positos patebit. Dein haec hypothesis egisse Deum contra rationis leges supponit. Nulla enim necessitas suberat, ut Deus arcem extrui iuberet, ut illuc animantia cogeret, atque intus octo compelleret homines, ad diluvium particulare, quod non nisi aliquam terrae partem inundaturum esse, evitandum; cum hominibus his significare potuisset ut in eas regiones secederent quo aquae diluvii non essent perventurae. Denique in hac sua hypothese adversarii id quod intendunt, non obtinent, scilicet evitacionem miraculorum. Nam sine miraculo aquae ad quindecim cubitos supra cacumina montium efferri una in regione non potuerunt, quin ad eandem altitudinem contiguae terrae, et regiones aquis obrutae fuerint; ut ex aequilibrio fluidorum constat.

iterum annihilare, quod non facile theologi admittent. Addunt, altissimos montes, quales sunt Olympus in Graecia, Athos in Thracia, Atlas in Africa etc., altitudine mediam regionem aëris in qua imbres, nives ac venti generantur, multum superare, adeoque pluvias tempore diluvii non potuisse in hos montes decidere aut eosdem operire, nisi denuo novum adstruatur miraculum: et quae sunt his similia. Sed

OBSERVO I. Mirum profecto esse, quod philosophi christiani argumenta conquirant, ut impossibile ostendant illud, quod factum esse Scriptura clare affirmat (1): *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo coelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* An quia Vossius eiusque sequaces id philosophice explicare non possunt, Moyses mentitur? Quam multa, quaeso, vel in ipsa rerum natura sunt, quae, quomodo fiant, aut facta sint ignoramus? Caeterum potius miracula admittenda sunt, quam manifestis s. Scripturae effatis fides deneganda. Audiamus s. Augustinum similes hodiernis philosophis argutores his verbis exhibentem (2): *Opinantur quidam, tam magnum fieri non potuisse diluvium, ut altissimos montes quindecim cubitis aqua crescendo transcenderet, propter Olympi verticem montis, supra quem perhibentur nubes non posse conscendere. — Nec attendunt, omnium elementorum*

(1) Genes. c. 7, v. 19 et 20.

(2) L. 45 de Civ. Dei, c. 27.

(3) In lib. cui titulus: *Archaeologia philosophica.* Hoc systema etiam recenset, sed non una de causa improbat Calmet commentar. in Genes. c. 7, v. 11, prope finem.

(4) Spectacle de la nature, tom. 3.

(5) V. Lexicon universal. Lipsiens. t. 35, verbo Whiston. Docuere nimirum iste Whiston et Wharton ambo angli, tempore

crassissimam terram ibi (in huius montis vertice) esse potuisse — Quid itaque rationis afferunt, quare terra gravior — locum coeli tranquilliorum invaserit per volumina tot annorum, et aqua levior — permessa non sit hoc facere saltem ad tempus exiguum?

OBSERVO II. Varios ad explicandum diluvium universale excogitatos esse modos et systemata. Talia proferunt Burnetus anglus (3), et D. Pluche (4). Aliud hac de re systema fabricavit Whiston (5) anglus coaevus ac familiaris Newtono. Iterum aliud est systema illius galli, qui in actis parisinis rem ita explicat, supponens, terram circa solem moveri. Deus, inquit, subito stitit motum vertiginis terrae circa axem suum. Hinc omnia maria et flumina ob motum vertiginis prius conceptum, desertis suis alveis et meatibus subterraneis, maxima vi effusa sunt supra superficiem et altissimos montes telluris, accedentibus copiosis 40 dierum imbribus e coelo deciduis. Si autem quaeras, cur haec aquae non statim iterum in suas voragine relapsae sint? Poterit responderi, id ea de causa factum esse, quia effusis ultra montes aquis, Deus terrae motum vertiginis mox iterum restituit: unde aquae supra terram et montes excussae permanserunt in illa distantia instar aquae in scypho, vel lapidis in funda rotati, donec Conditori placuit eas in suos alveos et abyssos remit-

diluvii apparuisse cometam, qui sua cauda aquosis vaporibus plena, globum terrestrem, ad quem propius accessit, quadraginta continuis diebus et noctibus involverit, postmodum autem, cum in sua orbita satis propinque ad solem accessisset, et vehementer incaluisset, denuo ad terram finito diluvio reversum esse, ut excessum aquarum abundantium exsiccaret, et velut epotaret, ut Wharton censuit.

tere. Huic simile systema etiam *cl. Bergier* (1) format. Supponit hic auctor, globum terrestrem ante diluvium, quemadmodum de facto saltem quoad dimidiam sui partem aquis marinis circumfusum fuisse, simulque ponit, axem terrae tempore diluvii a Deo fuisse inclinatum, simulque punctum aequilibrum seu centrum gravitatis mutatum. His suppositis, aquae oceani et marium necessario effusae sunt in partes terrae siccas, easque operuerunt iuxta illud (2): *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae*, hoc est, oceanus et alia maria effusa sunt alveis et meatibus suis. Porro adhuc aliud systema est, si dicamus, Deum ab aeterno praevisa hominum malitia, cursum causarum naturalium ita ordinasse, ut statuto tempore per ignes et ventos subterraneos vehementissimos maria et flumina ultra superficiem terrae et demum ultra altissimos etiam montes intumuerint, accedentibus densissimis et diuturnis de coelo imbribus, et ingentibus terrae crustis ac montium ruinis ob horrendos terrae motus in ima hinc inde subsidentibus, donec tandem iuxta definitum a Conditor tempus et ordinem vehementia illa ventorum subterraneorum et motuum terrae remisit, et maria ac flumina successive detumescencia suos in alveos et abyssos rediere. Atque huic systemati pariter, ut consideranti facile patebit, multum favent illa Genes. 7, v. 11 verba: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae coeli apertae sunt*. Confirmatur haec explicatio

(1) Loc. cit. tom. 2, pag. 150.

(2) Genes. c. 7, v. 11.

(3) Vide *Piccolominium*, lib. de quantitate terrae et aquae. Item *Iulium Scaligerum* exercitat. contra *Cardanum*. Item philosophiam eclectic. *Monteiro lusitani*, t. 5 geographiae physicae, p. 5, lectio. 5 de telluris globo.

paritate aquae aut alterius liquoris in olla calida effervescentis, qui quamvis ab initio vix dimidium ollae repleret, vehementi tamen calore concepto exundabit. Quidni simile quid tempore diluvii contigerit, praesertim cum in globo terraqueo maior aut certe aequalis sit aquae copia massae terrestri solidae comparata (3), ut proin aqua ab ignibus et ventis subterraneis, meatibus et alveis suis extrusa, massam terrae ob ingentes motus hinc inde subsidentem facile potuerit denique totam obruere? Denique etiam illud memorasse iuvat, quod ultimis nostris temporibus simplicissimam machinam, quae diluvii rationem commode exhibebat, videre licuerit Parisiis apud *Tremelium* mechanicum ordinarium Delphini (4). Ecce! quot modos explicandi diluvium sine aqua de novo creata et postea iterum annihilata humana ratio et dexteritas invenerit. Conclude, quanto facilius Deus omniscius et omnipotens aliquem ex his, vel alium modum noverit, quo diluvium universale, prout in libro Genesis narratur, procurare ac exequi potuerit.

Adde, falsum esse illud adversariorum adsertum, quod montes *Olympus*, *Athos*, etc. surgant ultra illam aëris regionem, in qua pluviae et nives generantur. Nam, quod *Solinus* commemorat, reliquias sacrificiorum in *Olympi* montis vertice nec ventis diffusas, nec imbribus dilutas, sed elapso anno ita plane repertas esse, prout relictas fuerant, fabulam esse testatur *Franciscus Philelphus*, qui hunc montem conscendit, referente *Ludovico Vives* (5). Imo *Xenagoras* altitudinem

(4) *Bullet*, Réponses t. 4 du déluge. Item mémoires de Trévoux, Jan. 1767, mois de mars.

(5) *Commentar.* in s. *Augustini*, l. 15 de Civ. Dei, c. 27.

Olympi geometrice dimensus reperit, eam esse ad perpendicularum non nisi decem stadiorum cum sextante, ut *Plutarchus* (1) refert. Quod *Atlantem* spectat, eius verticem nive semper coopertum experientia probat. Similiter galli astronomi *Bouguer*, *Condamine* et *Goudin* iussu *Ludovici XV* ad aequatorem pro gradibus terrae dimetiendis missi, item missionarii recens ex America reversi unanimiter testantur, montes Americae omnium in toto orbe altissimos e. g. *Chimborazo*, *Cayambe* aliosque toto anno in vertice nivibus tectos esse. *Mons Chimborazo*, inquit *D. Bouguer* (2), illorum, quos observavi, altissimus est. Ascendit supra libellam maris 3217 perticis. Tegitur pars illius 800 perticis nive. Nubes multum infra ipsius verticem moventur. Observantur autem saepissime etiam in distantia trecentarum, aut quadringentarum perticarum nubes, quantum a longinquo observari potest, supra illius verticem. Potuerunt igitur tempore diluvii imbres in altissimos etiam montes decidere, quibus coniunctae aquae marium et fluminum exundantes, et ex imo in sublime intumescentes, denique cacumina altissimorum montium operuerunt.

Ad 3. negando suppositum, quod ante diluvium homines in sola Asia extiterint, aut fuerint numero pauciores, quam hodie sint. Nam omnes fere geographi, factis quam plurimis calculis, in eo conveniunt, terrestrem globum tempore diluvii longe maiorem (vigecuplo maiorem dicunt plurimi mitioris calculi adsertores) habitatorum numerum habuisse, quam modo habeat; quod quidem ex eo demonstrant, quia per 16 saecula ab origine mundi usque ad *Noe* patriarcham ob ro-

bur et foecunditatem illorum temporum plures nascebantur, et ob longissimam vitam plurimos filios et filias gignebant, et tardius e vita discedebant. Neque difficile fuit illis hominibus in remotissimas orbis plagas, et insulas etiam, ac transmarinas regiones deferri, easque incolere; cum tellus tunc esset fertilissima, et aliquo navigii genere lacus et maria tranare potuerint. Quod enim iam ante diluvium navigationes in usu fuerint, sive ratibus, sive pellibus (quae naves teste *Plinio* l. 4, c. 16 Britannis usitatae erant) perquam verisimile est. Certe *Noe* ante acceptum a Deo mandatam de construenda arca, navium rationem cognitam habuisse videtur: quia Deus de forma navigii, cui tanquam basi arca incumberet, et in aquis commode hinc inde nataret, nihil plane praecepit, sed id *Noachi* prudentiae commisit. Fuit autem navigii forma omnino necessaria.

Ad 4. falsa esse quae increduli vera esse ibidem supponunt. Negat enim *Voltaire* in Armenia, ubi arca quievit, oleas crescere, testem adducens *Tournefortium*. Verum quas oleas *Tournefortius* in Armenia desideravit, eas *Strabo* geographus antiquus et celeberrimus, idemque in Cappadocia Armeniae finitima natus et quidem a perpetuo virore celebres praedicavit. Quodsi hodie ibi desiderantur, nemo mirabitur, qui maximas globi terraquei mutationes perpenderit. Confer agrum romanum hodiernum cum antiquo, Hollandiam aetate Caesaris cum hodierna, et mirari desines. Alii increduli, qui quaerunt, quomodo olea anno integro, quo diluvium duravit, potuerit sub aquis virere, legant naturalium re-

(1) In *Aemilio Paulo*.

(2) In actis parisis ad ann. 1744.

rum scriptores, praesertim *Plinium* (1), et ab eo discent, etiam in mari rubro *sybas virere, laurum maxime et olivam ferentem baccas*. Plura hanc in rem scriptorum testimonia recenset *Natalis Alex.* (2). Potuit ergo olea illa sub aquis diluvii annum integrum folia sua naturaliter servare, quemadmodum etiam *s. Chrysostomus* (3) adserit; quamvis eam miraculose sub aquis germinasse aut conservatam esse existimet *s. Ambrosius* (4).

¶ *Ad 5.* Haec facile conciliari, si dicamus evolasse corvum recuperata libertate laetum, et cadaverum carnibus ita cupiditatem explese, ut identidem revolans in arcae tecto quiesceret, neque tamen in eam recipi se pateretur. Sic utrumque veritati consentaneum erit, et rediisse corvum, et non rediisse; rediisse ad arcam, non rediisse in arcam.

¶ *Ad 6 et dico:* Iris, quae iam ante diluvium haud dubie saepius apparuit, et fuit dumtaxat *signum naturale* nubium roscidarum et pluviae, destinata est a Deo post diluvium in *signum ad placitum* promissionis divinae de diluvio universalis non amplius immittendo; ferme sicut proreptatio serpentis post lapsum primorum parentum erat serpenti in poenam et probrum quae antea erat ipsius motus praecise naturalis (5).

¶ *Ad 7.* varias esse vias et modos, quibus et homines et animalia post finitum diluvium (idem etiam de animalibus ad arcam ad-

(1) Lib. 5, c. 25.

(2) Tom. 1 in primam mundi aetatem dissert. 10, art. 4, obiect. 3.

(3) Homil. 26 in Genesin, ubi etiam ait, dispositione divina factum esse, quod columba ramum olivae invenerit, et ad Noe attulerit.

ductis ante coeptum diluvium proportionaliter intelligi debet) in remotissimas insulas, ipsamque Americam pervenire potuerint. Et homines quidem navigiis vel de industria, vel casu aliquo aut tempestate potuerunt illuc deferri, vel etiam sine navigiis. Asia enim non solum cohaeret cum Europa, sed etiam prope mare rubrum cum Africa: cum ex Palaestina in Aegyptum proficiscentibus nullum fretum sit superandum. Satis quoque comperit hodie habetur, ipsam adeo Americam inter septentrionales Russiae provincias Siberiae et Kamtschatkam per continentem continuam Asiae coniungi; quod quidem an. 1738 primus detexit *Guilielmus Georgius Stoller* windeshemiensis franco professor academiae scientiarum russicae Petropoli. Poterant igitur scythae vel hac via, vel per fretum glaciatum migrare in Americam: poterant coloniae ex portibus orientalibus Tartariae et Iaponiae navibus provehi in Americam. Quamvis enim America a Iaponia et Tartaria chinensi 800 aut 900 circiter milliaribus distet, spatium tamen illud intermedium copiosissimum tractibus seu insulis sibi maxime vicinis interpolatum est, ut videre est in mappa geographica, quam de *L' Isle* post confectum a se per hoc mare iter exaravit (6).

Similiter animalia iisdem ferme, quibus homines viis modisque in remotissimas insulas ipsamque Americam pervenire potuerunt. Nam in proximis insulas, ubi angustum est fretum, natando pervenire poterant; in remotiores ab hominibus navi transvehi, ut earundem species ibidem propagata, venationibus.

(4) L. de arca, c. 49.

(5) Vide supra n. 25.

(6) Vide cl. *Nonnotte*, lib. contra errores *Voltairii*, de populatione Americae.

spectaculis aut aliis usibus humanis serviret. Fors etiam ferae in ingentibus glacialibus frustis, quae circa polum mari frequenter innant, subito avulsis in insulas remotiores, ipsamque Americam septentrionalem fuere transportatae, aut hyeme, dum mare congelatum est, illuc pervenere sive sponte, sive ab hominibus venando propulsae. Ecce! quot viae sint, quae homines et animalia post diluvium in remotissimas regiones ipsamque etiam Americam pervenire potuerunt.

§. IV.

De annis patriarcharum ante diluvium.

27. QUÆRES XVI. *An anni primorum hominum et patriarcharum ante diluvium viventium fuerint nostris annis pares?* Occasionem huic quaestioni dederunt quidam existimantes, s. Scripturam (1) narrantem, quod primi homines *Adam, Seth, Enos, Cainan, Iared, Mathusalalam* ad nongentos et amplius annos vixerint, non esse intelligendam de annis solaribus, quales nostri sunt, sed ex lunae cursu metiendos, et non nisi menstrosos, aut non multo maiores fuisse, hoc est, 36 dierum, ita ut annus unus solaris denos huiusmodi annos abbreviatos comprehenderet, ne nimirum fateri cogantur, primos illos homines vitam ad tam longa annorum spatia produxisse prae nostri aevi hominibus. Imo famosus ille *Horus* adhuc breviores facit annos primorum patriarcharum, ut ex corollario ad finem huius quaestiois ponendo patebit.

Sed omnino dicendum est primo-

(1) Genes. c. 5.

(2) L. 1 Antiq. c. 2.

(3) Genes. c. 5, v. 12 et 21.

(4) Genes. c. 7, v. 11; et c. 8, v. 4 et 5.

rum illorum hominum annos fuisse solares. seu pares nostris annis, adeoque 12 mensium. Probari id potest I. Ex astronomia et siderali scientia, quam primi illi homines, *Sethique* posterius invenerunt, ut *Iosephus* (2) scribit, immo verius ab *Adamo* acceperunt. Cum igitur non deesset illis scientia, ut annum ad solis cursum ordinarent, plane dicendum, id eos fecisse. II. Si dicti anni tantummodo menstrii vel 36 dierum, quorum deni unum annum solarem conficiunt, fuissent, sequeretur, quod quidam primorum hominum statim post annum solarem sextum aut septimum aetatis suae genuerint. Sic *Cainan* septennis genuisset filium suum *Malaleel*, et *Henoch* sexennis *Mathusalalam*. Nam *vixit Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel* — Porro *Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalalam* (3). Quis autem credat, puerum sexennem iam fuisse puberem, et parem generandis prolibus? III. In eo uno anno quo duravit diluvium, fit mentio (4) secundi, septimi, et decimi mensis. Et ne quis posset fingere, menses illos fuisse trium dumtaxat dierum, memoratur ibi decimus septimus dies mensis secundi (5), et vigesimus septimus mensis septimi (6). Quinimo, si dies, quos memorat *Moses* in descriptione diluvii per unum illum annum sexcentisimum *Noe*, quo diluvium duravit, recensentur, reperientur ii ad trecentos sexaginta (7). Ergo anni illi nongenti quos vixisse memorantur homines illius aetatis, non fuere menstrii, sed solares, seu pares nostris annis. Plura in hanc rem disserunt *s. Augustinus* (8) *Bon-*

(5) Genes. c. 7, v. 11.

(6) Genes. c. 8, v. 4.

(7) Gen. c. 7, v. 24; et c. 8, v. 5, etc.

(8) Lib. 13 de Civit. c. 12 et 14.